
Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

1 Masinissae Syphace capto intranti regiam in ipso limine Sophoniba, uxor Syphacis, filia
2 Hasdrubalis Poeni, occurrit; et cum in medio agmine armatorum Masinissam insignem
3 cum armis tum cetero habitu conspexisset, regem esse, id quod erat, rata genibus
4 advoluta eius: “omnia quidem ut posses” inquit “in nobis, di dederunt virtusque et
5 felicitas tua; sed si captivae apud dominum vitae necisque suae vocem mittere licet, si
6 genua, si victricem attingere dexteram, precor quaesoque per maiestatem regiam, in qua
7 paulo ante nos quoque fuimus, per gentis Numidarum nomen, quod tibi cum Syphace
8 commune fuit, per huiusce regiae deos, qui te melioribus ominibus accipiant, quam
9 Syphacem hinc miserunt, hanc veniam supplici des, ut ipse, quodcumque fert animus,
10 de captiva tua statuas neque me in cuiusquam Romani superbum et crudele arbitrium
11 venire sinas. si nihil aliud quam Syphacis uxor fuisset, tamen Numidae et in eadem
12 mecum Africa geniti quam alienigenae et externi fidem experiri mallet; quid
13 Carthaginiensi ab Romano, quid filiae Hasdrubalis timendum sit, vides. si nulla re alia
14 potes, morte me ut vindices ab Romanorum arbitrio, oro obtestorque.” forma erat
15 insignis et florentissima aetas; itaque cum modo genua modo dexteram amplectens in id,
16 ne cui Romano traderetur, fidem exposceret, propiusque blanditias tam oratio esset
17 quam
18 preces, non in misericordiam modo prolapsus est animus victoris, sed, ut est genus
19 Numidarum in Venerem praeceps, amore captivae victor captus. data dextra in id, quod
20 petebatur, obligandae fidei in regiam concedit. institit deinde reputare secum ipse, quem
21 ad modum promissi fidem praestaret. quod cum expedire non posset, ab amore
22 temerarium atque impudens mutuatur consilium: nuptias in eum ipsum diem parari
23 repente iubet, ne quid relinqueret integri Scipioni consulendi velut in captivam, quae
24 Masinissae iam nupta foret. factis nuptiis supervenit Scipionis legatus Laelius et adeo
25 non dissimulavit improbare se factum, ut primo etiam cum Syphace et ceteris captivis
26 detractam eam lecto geniali mittere ad Scipionem conatus sit. victus deinde precibus
27 Masinissae orantis, ut arbitrium, utrius regum duorum fortunae accessio Sophoniba
28 esset,
29 ad Scipionem reiceret, misso Syphace et captivis ceteras urbes Numidiae, quae
30 praesidiis
31 regiis tenebantur, adiuvante Masinissa recipit. Masinissa autem fidum e servis vocat,
sub
cuius custodia regio more ad incerta fortunae venenum erat, et mixtum in poculo ferre
ad Sophonibam iubet ac simul nuntiare Masinissam libenter primam ei fidem praesta-
turum fuisse, quam vir uxori debuerit; quoniam eius arbitrium, qui possint, adimant,

32 secundam fidem praestare, ne viva in potestatem Romanorum veniret. memor patris
33 imperatoris patriaeque et duorum regum, quibus nupta fuisset, sibi ipsa consuleret. hunc
34 nuntium ac simul venenum ferens minister cum ad Sophonibam venisset, “accipio”
35 inquit “nuptiale munus, nec ingratum, si nihil maius vir uxori praestare potuit. hoc
tamen
36 nuntia, melius me morituram fuisse, si non in funere meo nupsissem.” non locuta est
37 ferocius quam acceptum poculum nullo trepidationis signo dato impavide hausit.